



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 5. Rerum, in quacumq[ue] re, periti, quantum sint honorati?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



agrum, ita gratus, & refert, quod acceptum  
& meliorem reddit fortunam eius, à quo  
beneficio adiuuatur: cum autem gratia tanta  
referri non potest, quanta debetur, habenda  
tamen tanta est, quantam maximam  
animus capere potest. Verum de hoc argu-  
mento, ij qui de beneficijs, & gratitudine  
scripsere, prolixè disputarunt. Nobis  
ea cura esse debet, vt benefacta non solum  
non occultemus, aut malè locata diei per-  
tiamur; verum etiam, vt delicta ipsa alio-  
rum in nos pensemus benefactis.

Vide Sen-  
ecam de  
benefi-  
cijs,

## §. V.

*Rerum, in quacumque re, periti, quantum  
sint honorati?*

7. Rerum peritis honorem deberi, in-  
notum est, quia honor ipse nihil est aliud  
quàm testimonium excellentiæ; peritia au-  
tem rerum utiq; est quædam excellentia.  
Hinc in scholis Baccalaurei, Magistri, Do-  
ctores creantur; neq; ipsi opifices antè ma-  
gistrum vocantur, quàm peritiæ suæ specimina  
ediderunt. Tantò autem isti magis honore  
digni sunt, quia sunt saltem in certo genere  
sapientes. Dicitur enim belli dux sapiens  
miles, dicitur sapiens pictor, sapiens archi-  
tectus. Cur autem dicitur: *Honora medi-*

(147)



benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 147

eum, propter necessitatem, & non potiùs propter excellentiam, aut sapientiam? ex necessitate nimirum medici monemur, ne parci in illum simus, quæ si non esset, parum illi ob sapientiam, aut excellentiam suam daremus. Nunc autem ex necessitate illius excitamur ad diuinam sapientiam, excellentiamq; laudandam. Quamobrem non dicitur tantùm: *Honora medicum propter necessitatem*, sed additur mox causa illa: *etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.* Qualẽ accepit Theombrotus medicus, seu, vt alij eum nominant, Eristratus, ab Antiocho rege, quem talentis centum sanauit. Manilius Cornutus, provinciæ Aquitanix legatus, mentagra foedissima correptus, & sanitati restitutus, Medico, honorarij nomine, persoluit ducenta sestertia, quæ summa est nostrorum aureorum 4000. Eristratus, ob Antiochum ab insano amore, malè sanatum, à Seleuco patre eius donatus est sexaginta millibus aureorum. Recentiora sunt exempla. Thadaus Florentinus Medicus, in tanta fuit authoritate, vt extra urbem proficiscenti sæpe in singulos dies numerarentur 50. coronati, & ad Papam

Vide Philipp. Ca-  
merar.  
cent. I.  
Horar.  
subsecin-  
6. 4.

K 2

Hono-



Honorium IV. ab eo habuerit 100. Itaque toto, quo valetudinis illius curam gessit, tempore, fertur decem millia coronatorum collegisse. Petrus etiam Apponensis, medicus Patauinus, numquam valetudinis curandæ causa ad ægros extra urbem Bononiensem vocatus prodijt, quin acceperit dietim 50. coronatos. Et sunt qui dicant eundem, ad Pontificem Honorium ægro- tantem accersitum, singulis diebus, quadringentos coronatos, salarij loco, accepisse. Ludouicus quoque XI. rex Gallia, apud Cominæum, medico suo, menstruum stipendium decem aureorum millia dare solebat; sic, vt intra quintum mensem ille ab eo ad quinquaginta quatuor millia reportaret. Nec medicus iste dumtaxat, sed etiam nepos eius, atque eius ceteri vel propinqui, vel amici, eandem ob causam fuerunt honorati. Nam nepoti rex Episcopatum Ambianensem, amicis munera publica largiebatur. Quamquam sint, qui existiment, eam liberalitatem metu potius, quam reuerentia fuisse extortam. Persuaserat enim regi medicus, si ab eo discederet, regem diu superstitem viuere non posse. Non repetam hinc fabulosa illa de Apolline seu Phœbo, eiusq; filio



*benefactorib. rerum peritis, amicis debitus. 149*

filio Æsculapio, de Machaone, de Podalirio; nec, veriora illa, de Hippocrate, de Galeno, de Rufino Nicaënsi, de Daphno Ephesio, de Auerrœe, qui non more anicularum morbo morbum addere solebant, sed ipsam quoque arte sua mortem ab ijs, qui depositi deploratiq̄ue fuerant, & iam alterum pedem in cymba Charontis habebant, depulerunt. In his quàm verus erat versiculus ille,

*Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?*

Nam in ipsis isti opibus honorabantur. Cur non Deus? *Eccli. 382*

*A Deo est enim omnis medela. Febricitantibus,* inquit D. Chrysoſtomus, *medicos conuocamus, cubiculum certum tribuimus, & medicina legibus parere impellimus.* *S. Chryſ. in c. 23<sup>o</sup> Matth.*

*Quas si negligunt, irascimur, & custodes apponimus, qui eos Medicorū præceptis viuere cogant.*

*Quòd si magni pretij medicina opus fuerit, libenter impensam subimus, & Medicis ipsis non paruam mercedem deponimus. At verò quando nos ipsi, heu, animâ egrotamus, ne ad medicum quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere; sed quasi publico quodam inimico & hoste nostro iacente, sic anima laborante afficimur.*

K 3

S. VI.